



# **Disputatio juridica in qua celebris cujusdam rescripti imperatoris Hadriani ... lectio & sententia examinatur**

<https://hdl.handle.net/1874/341649>

DISPUTATIO JURIDICA

In qua  
celebris cujusdam rescripti

IMPERATORIS  
HADRIANI,

Quod est

*In l. i. §. 3. D. ad legem Corneliam de sicariis & veneficis, etiam in tit. i. Collationis legum Mosaicarum & Romanarum, lectio & sententia examinatur,*

QUAM

FAVENTE DEO OPT. MAX.

*Sub Praesidio Viri Clarissimi*

D. GERARDI NOODT

Jurisconsulti & in Alma ULTRAJECTINA Academia  
Antecessoris Ordinarii

*Publice veniendam proponit*

GERARDUS van NIER *Ultrajectinus Respond.*

*A. d. 26. Junii ante meridiem hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officina JOHANNIS RIBBII, Bibliop.  
Anno M DC LXXXIV.

*Nobilissimo, Strenuissimo,  
& Generosissimo*

DOMINO,

D. JOHANNI BORRE  
ab AMERONGEN.

Hoc tempore consulatum hujus urbis  
secunda omnium voluntate geren-  
ti, Patrono literarum, optime de  
me merito, sempiternaque obser-  
vantia summopere colendo.

*Hanc Disputationem submis-  
se offert.*

G. V. NIER.

*Respondens.*

DISPUTATIO JURIDICA

In qua

Celebris cujusdam rescripti

IMPERATORIS HADRIANI,

Quod est in

*L. 1. §. 3. D. ad legem Corneliam de sicariis & veneficis,  
etiam in tit. 1. Collationis legum Mosaicarum &  
Romanarum, lectio & sententia examinatur.*

T H E S I S I.



Ege Cornelia, quam de sicariis & veneficis tulit Lucius Cornelius Sulla, cautum fuit de pœna ejus, qui hominem occiderit, aut hominis occidendi, furtive faciendi causa cum telo ambulaverit: ea autem pœna fuit aquæ & ignis interdictio cum omnium bonorum ademptione; sed, postquam deportatio successit in locum aquæ & ignis interdictionis, hi, qui de pœna hujus legis scripserunt, ei deportationem cum omnium bonorum ademptione adscripserunt. *l. 3. §. pen. D. ad legem Corneliam de Sicariis & Veneficis Paul. lib. 5. sent. tit. 21.*

Ea tamen deportatio, quod observandum, Pandectarum tempore lege Cornelia non adversus omnes peræque homicidas, sed tantum adversus eos exercita est, qui honestiores essent, hi autem, qui in secundo gradu consistenterent, fere capite puniti, humiliores vero vel bestiis subjecti, vel in crucem sublati sunt. *d. l. 3. §. pen. l. 16. D. cod. tit. Paulus d. lib. 5. Sent. tit. 21.*

Illud similiter observandum hanc legem, cum homicidium persequitur,

sequitur, non homicidium qualecunque persequi, sed tantum à sciente dolo malo, id est, tantum proposito & voluntate, vel, quod idem, tantum consulto & deliberato factum: Adeo, qui homicidii ea lege tenetur, eum non alium, quam sicarium, quam latronem intelligi. Fuerit argumento, quod hæc lex, quia sicarios & veneficos coercet, Cornelia de sicariis & veneficis dicta est; sunt autem propriè sicarii latrones, qui ficas, id est, parvos, atque incurvos gladios sub veste tectos habent, & his homines sibi inimicos non dicam nocte, atque in solitudine, sed sæpe in turba & mero die, utcunque per insidias & non opinantes occidunt, uti multis veterum testimoniis pulchre ostendit V. Cl. Barnabas Brissonius *l. 2. select. antiq. c. xi.* Quanquam autem hoc verbum per abusivum deinde latius acceptum sit, & quoscunque complexum, qui eandem quocunque teli genere commiserint, ut ex Quintiliano *lib. 10. Inst. Orat. c. 1.* intelligitur, imo quanquam, ut idem in *declam. 350. cades videtur significare sanguinem & ferrum: Si quis alio genere homo fuerit occisus, ad illam legem revertemur: si inciderit in latrinas, aut in aquas præcipitatus, si in aliquam immensam altitudinem dejectus fuerit, eadem lege vindicabitur, qua ille, qui ferro percussus est, non tamen ad alios interpretatione porrectum est sicarii aut homicidæ crimen, quam qui eandem quocunque quidem telo aut genere, sed ex proposito & voluntate commisisse dicuntur. Atque ita est; tantum, quod sponte & dolo malo, tantum, quod consulto & voluntate factum, vel, quod idem, tantum, quod cogitatum & deliberatum est homicidium, id lege Cornelia de sicariis & veneficis vindicatum est *l. 1. l. 5. C. Ad legem Corneliam de sicariis l. 16. D. eod. tit. tot. tit. 1. Collationis legum Mosaicarum & Romanarum.* Adeo homicidium & latrocinium, quod ad hanc legem attinet, ferè conjuncta sunt, & quæ homicidii, ea latrocinii pœna videtur. Utrique ut homicidæ, ita latrones solent aut bestiis objici aut in crucem tolli. Ne res probatione egeat in latrocinio, alterius pœnæ testem habeo Senecam *ad Lucilium epist. 7.* ubi, latrocinium, inquit, fecit aliquis. Quid ergo? Meruit, ut suspendatur. Occidit hominem: qui occidit, ille meruit, ut hoc pateretur. Petronium quoque *in Satira.* Verba Petronii. Cum interim Imperator Provinciæ latrones jussit crucibus affigi. Utriusque pœnæ, id est, & crucis & bestiarum*

memi-

meminit Callistratus l. 28. §. 15. D. de Panis Famofos, inquires, latrones in his locis, ubi grassati sunt, furca figendos compluribus placuit: nonnulli etiam ad bestias hos damnaverunt. Bestias & furcam vides apud Callistratum, crucem non vides. Sed, quod ab aliis observatum, pro cruce furcam substituit Tribonianus, sublata jam à Constantino crucis poena. Nisi malis furca figi apud Callistratum dici pro cruce figi, ut patibulo affigi apud Sallustium pro cruce affigi, crucis parte pro tota posita; solent enim cruciarii cum furcis seu patibulis, sub quibus verberati fuerant, sæpe è cruce suspendi. Sed hæc omitto.

Illud potius addam, quod, cum lex Cornelia etiam eum punit, qui hominis occidendi causa cum telo fuit, non tantum hunc, qui hominem occidit, certius apparet eam non occidentis factum, sed, ut dixi, animum ac voluntatem coërcere, indeque à Paulo traditum l. 7. D. ad legem Corneliam de Sicariis & Veneficis in lege Cornelia dolum pro facto accipi, nec in hac lege culpam latam pro dolo haberi. Et in tit. 1. Collationis legum Mosaicarum & Romanarum qui hominem occidit, eum aliquando absolvi, & qui non occidit, ut homicidam damnari; consilium enim uniuscujusque, non factum puniendum esse.

## I I.

Inquires, quo hæc pertinet præparatio? Dicam; ut, qui amant bonam mentem, his iter aperiatur ad veram scripturam, sententiamque rescripti cujusdam Imperatoris Hadriani elegantis sane & celebris, sed nondum emendati, neque satis expositi. Fuerit operæ pretium id rescriptum, uti ex Marciani Institutionum libro XIV positum sub titulo Digestorum ad legem Corneliam de Sicariis & Veneficis c. 1. §. 3. etiam ex Ulpiani lib. VII. de Officio Proconsulis transit in tit. 1. Collationis legum Mosaicarum & Romanarum, non defunctorie inspexisse, initio à Marciano facto. Verba Marciani ex lib. XIV. Institutionum in l. 1. §. 3. D. ad legem Corneliam de Sicariis & Veneficis:

Divus Hadrianus rescripsit eum, qui hominem occidit, si non occidendi animo hoc admisit, absolvi posse. Et qui hominem non occidit, sed vulneravit, ut occidat, pro homicida damnandum. Et ex re constituendum hoc. Nam si gladium strixerit, & in ea percusserit:

*cufferit : indubitate occidendi animo id eum admiffisse. Sed fi clavi percuffit, aut cucuma in rixa : quamvis ferro percuffit, tamen non occidendi animo, leniendum pœnam ejus, qui in rixa causa magis, quam voluntate homicidium admiffit.*

Ità Florentiæ legitur. Apud Accurfium vero pro clavi editur clava. Sed placet clavi, quia nil vetat. Præterea hoc fervat verbum Scholiastes Græcus *Basilic. lib. 60. tit. 39. in scholio ad hunc locum ;* Etiam propior hæc lectio ab illa, *fic lapide percuffit, aut cucuma,* quæ in eodem apud Ulpianum rescripto est sub *tit. I. Collationis legum Mosaicarum & Romanarum.* Illud non improbem, quod idem deinde Accurfius pro *qui in rixa causa magis, quam voluntate homicidium admiffit,* quæ scriptura est Florentini Codicis, scribit, *qui in rixa casu magis, quam voluntate homicidium admiffit.* Nam & hanc in eodem, quod dixi, scholio probat Græcus Scholiastes. Etiam Ulpianus *d. tit. 1. cum in fit, distinctionem casus & voluntatis in homicidio fervari rescripto Hadriani confirmatur.* Quid? quod similiter ipse in alio quodam fragmento ait Hadrianus *d. tit. 1. referre & in majoribus delictis consulto aliquid admittatur, an casu.* Verum ad rem.

### I I I.

Ait Marcianus ab Hadriano rescriptum esse homicidium lege Cornelia tantum animo censerî, non etiam exitu, animum vero ex re, id est, ex causa *l. 28. §. 1. D. ad legem Aquiliam,* ex facto, *l. 1. §. 2. D. de doli mali & metus exceptione,* sive, ut vulgus ait ex circumstantiis intelligi. Hoc Hadrianum duobus exemplis ostendere: primum tradere, si quis gladium strinxerit, & in eo percufferit (*in eo pro eo dixit usitata locutione, quam in similibus V. Cl. Claudius Salmasius indicavit ad Trebellii Pollionis triginta tyrannos ad finem Titi p. 344. col. 1. Cui ego illud addo ex Apuleji lib. 3. de asino aureo. At illi barbari provsus & immanes homines neque fugam capeffant, & cum me viderent in ferro, tamen audaciter resistunt*) si quis, inquam, gladium strinxerit, & in eo percufferit, indubitate occidendi animo id admiffisse. Quod sic accipe, si ultro quis gladium strinxit, & hoc occisum in latronis modum sponte aggres-

aggressus est, non, si in rixa fecit, aut aliter motus impetu. Argumentum mihi, quod hoc in versu impetus vel rixæ nulla ab Hadriano mentio fit, in sequenti autem versu bis fit. Porro, si rixa, & animi morus liquet, haud video, ut gladius voluntatem integret, cui impetus derogat, & mentis occæcatio adversatur. Uti- que, ut Cicero in fit in *Topicis*, *cadunt in ignorantiam atque imprudentiam perturbationes animi, quæ quanquam sint voluntaria, objur- gatione enim atque admonitione deficiuntur, tamen habent tantos motus, ut ea, quæ voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe igno- rata videantur.* Quanquam quid Ciceronem ad testimonium voco, quum ipse sive Hadrianus, sive Marcianus scribat in fine d. §. 3. *leniendam penam ejus, qui in rixa casu magis, quam voluntate homicidium admisit, itaque animi impetum & perturbationem, quam rixa movit, ab occidendi voluntate, quam lex Cornelia punit, aperte discernat.* Apertius tamen id discrimen idem indicat Marcia- nus l. 11. §. 2. *D. de pœnis*, ubi, *delinquitur, inquit, aut proposito, aut impetu, aut casu: proposito delinquent latrones, qui factionem ha- bent, impetu autem, cum per ebrietatem ad manus, aut ad ferrum venit, casu verò, cum in venando telum in feram missum hominem in- terfecit.* Ità Marcianus, prorsus, etsi ferrum intervenit, impetum à proposito, vel, quod idem, à dolo ac voluntate separans. Non igitur, ferrum seu gladius sive Hadriano, sive Marciano semper at- que indistincte pro indicio admittæ dolo aut proposito cædis, sed tum, si neque impetus, neque rixa paret, homicidium tamen gla- dio factum arguitur. Hoc adeo verum est, ut, qui homicidam è diverso à teli genere tantum distinguendum arbitratur, etiam hunc, qui cum gladio fuit, sed tantum fuit, hominis occidendi causa cum gladio fuisse, & ideo in legem Corneliam incidisse indistinctè arbitrari debeat. Illa enim lex eum, qui hominem dolo malo oc- cidit, eumque, qui hominis occidendi causa cum telo fuit, pari- ter accipit. Sed hoc quam non modo falsum, sed & ineptum sit, vel Ulpiani & Quintiliani testimonio constat, quorum Ulpianus lib. VII. de officio Proconsulis sub titulo de sicariis & veneficis de legis Cornelie de sicariis & veneficis capite scribens primo, hæc lex, inquit, non omnem, qui cum telo ambulaverit, punit, sed eum tantum, qui hominis necandi, furtive faciendi causa telum gerit,



gerit, coerces, compescit. tit. 1. Collationis legum Mosaicarum & Romanarum. Quintilianus autem declam. 17. Ita, inquit, parricida argumentum est, & hoc ipsum, quod habuisti venenum. Omnibus, Judices, quibus ad scelerum conatus adjuvatur deteriorum quotidie fecunda mortalitas, non hanc solam potentiam natura concessit, in quam malis mentibus & nocentium ducuntur ingenis; sed illis usus ex animo est, totumque, quod faciunt, de conscientia possidentis accipiunt. Quid enim, si latronem gladio tantum probes? Sic munimus & somnos.

Excute peregrinantium sinus: herent tela sollicitis. Non vetant illa leges parare, prospicere, nec instrumenta prohibent, sed astimant usus. Verum ostendi, quo pacto primum Hadriani exemplum accipiendum sit.

## I V.

Secundum verbis istis continetur. Sed si clavi percussit aut cuccumam in rixa, quamvis ferro percusserit, tamen non occidendi animo, leniendam pœnam ejus, qui in rixa casu magis, quam voluntate homicidium admisit. In his quid velit illud, quamvis ferro percusserit, non intelligo, siquidem cuccumam vasis genus est instar quidem cucumeris, sed cuculcunquem materiæ etiam ex ære, aut terra, non tantum ex ferro, ut in Memorabilibus suis jam recte annotavit Catellianus Cotta. Sed demus ex ferro cuccumam esse. Quid postea? An, quod ferrum est, vel ex ferro factum, eo si alius percutitur & occiditur, occidendi animus atque affectus semper probari solet aut potest? Non dices: nam vel gladius ex ferro est, is tamen si in rixa strictus est & eo cædes facta, non utique occidendi animo cædes facta videtur. Cui rei igitur illa adjectio quamvis ferro percusserit? Utrum lex Cornelia de ferro nominatim loquuta est, uti necesse fuerit ista admonitione verbi calumniæ occurrere? An in hoc aut præcedente versu dictum de ferro quidpiam, quod homine in eo percusso, pre-emptove ad occidendi animum convincendum sufficiat? Non video, neque apparet; minus, cui hoc, quamvis ferro percusserit, aut respondeat juste, aut sano sensu opponatur. Nisi putes Hadrianum hoc verbo ferro gladium indigitare, cujus idem tantum non in priore versu meminuit. Et tamen, quod de gladio dixit, non hanc causam habet, quod gladius ex ferro plerumque est, quodve occidendi

dendi voluntas ex ferro facilius, quam ex ære, ligno, aut lapide ostenditur, sed quia quis alium ibi gladio percussisse dicitur, sed sine rixa, aut simili, ex quo animi impetus ac perturbatio moveri ac deprehendi posset, & adeo alia, quam occidendi causa nulla apparet. Atque ita est, cum Hadrianus, *sed si, inquit, clavi percussit, aut cucuma in rixa, quamvis ferro percussit*, hoc verbo ferro non ferream clavem, aut ferream cucumam, sed gladium designat, ut in l. 5. D. ad legem Aquiliam l. xi. §. I. D. de panis & passim, ubi de cæde sermo, & ferri mentio fit, vel Quintiliano teste lib. 10. Inst. orat. c. 1. verbis sequentibus. *Sunt autem alia hujus natura, ut idem pluribus vocibus declarent, ita ut nihil significationis, quo potius utaris, intersit: ut ensis & gladius. Alia, quæ etiam si propria rerum aliquarum sint nomina, τὸ ἑρμηνεύειν tamen ad eundem intellectum feruntur, ut ferrum & mucro. Quid ergo? Non sic accipiendus Hadrianus, quasi dicat, quamvis clavis aut cucuma ferrea fuerit, quod Græcus Scholiastes voluit Basilic. lib. 90. tit. 39. sed quasi posteriorem versus anteriori opponat, totoque rescripto tantum hoc agat, uti hunc casum, in quo per rixam & inconsultam animi perturbationem ad manus vel ad ferrum ventum est, ab eo distinguat, in quo gladius sine rixa sponte striculus & insultatio sine consimili animi motu in latrocinii modum facta est. Sed id ex verbo rixa, quo Hadrianus iterum hoc in versu utitur, & his, quæ dicta sunt ad priorem speciem, satis intelligi potest, itaque mihi persuasi eum versus translati verbo ferro & inserta vocula aut ita restituendum esse.*

*Sed si clavi percussit, aut cucuma, aut ferro in rixa; quamvis percussit, tamen non occidendi animo, leniendam penam ejus, qui in rixa casu magis, quam voluntate homicidium admisit.*

Vel

*Sed si clavi percussit, aut cucuma, aut in rixa ferro; quamvis percussit, tamen. Et reliqua.*

Hæc mea conjectura, si conjectura dicenda, in quam velut manu ipsa me Hadriani duxerunt verba, quæ apud Ulpianum tit. 1. Collationis legum Mosaicarum & Romanarum in eodem rescripto extant hunc in modum.

*Nam si gladium instrinxit, aut telo percussit, quid dubium est, quin occidendi animo percussit? Sic lapide percussit, aut cucuma, aut*

*cum forte rixaretur, ferro percussit, sed non occidendi mente. Ergo hoc exquirite, & si voluntas occidendi fuit, ut homicidam servum supplicio cum jure jubete affici.*

Hæc vulgata hujus loci interpunctio, sed quæ, vereor, ne item corrupta sit, & sic emendanda.

*Sic lapide percussit, aut cuccumæ, aut, cum forte rixaretur, ferro percussit, sed non occidendi mente. Ergo &c.*

Vides Hadrianum lapidis, cuccumæ, & ferri meminisse, his voculam aut non semel, ut apud Marcianum in Pandectis, sed, ut à me factum, bis apponere; itaque cum ferrum à lapide, vel, ut apud Marcianum est, à clavi & cuccumæ separare, sensumque esse, si rixa inter duos orta furor arma ministravit, alter forte clavem, aut cuccumam, aut ferrum, seu gladium apprehendit, & adversarium occidit, non videri occidendi animum fuisse. Qua causa? Qui alium in rixa percussit, etsi eum occidit, non tamen consulto, neque ex deliberatione percussit, sed impetu, sed animi perturbatione, sed iræ calore inconsulto adactus, &, ut proprie, atque apposite Patroclus in illo Homeri apud Claudium Saturninum l. 16. §. 8. D. de pœnis.

*Imprudens, invitus, circa talos iratus.*

Prorsus ita est; qui alium in rixa, ut Patroclus, circa talorum lusum occidit, is sive gladio, sive cuccumæ, sive clavi occidit, & lege Cornelia accusatus est, ab hac lege absolvi poterit: ut tamen ei lenior pœna instigatur: hoc enim Marcianus vult d. l. 1. §. 3. tantum quia lex Cornelia de sicariis voluntatem punit. At hic, inquit Marcianus, alium magis casu, quam voluntate occidit, casu, inquam, id est, ut Saturninus d. l. 16. §. 8. fortuito, vel, ut ipse Marcianus l. 2. D. de legibus non sponte, sed involuntarie, vel, ut idem d. l. XI. §. 2. D. de Pœnis magis impetu, quam proposito, casu tamen & necessitate atque ignorantia, si impetum cum dolo, id est, cum proposito & deliberatione compares, quam lex Cornelia desiderat. Itaque Cicero in Topicis d. loc. cadunt, inquit, in ignorantiam atque imprudentiam perturbationes animi, quæ quanquam singulæ voluntariæ: objurgatione enim & admonitione dejiciuntur, tamen habentantes motus, ut ea, quæ voluntaria sunt, aut necessaria interdum,

*aut certe ignorata videantur.* Ulpianus quoque l. 5. §. ult. D. de Pœnis ubi, refert, inquit, & in majoribus delictis consulto aliquid admittatur, an casu. Et sane in omnibus criminibus distinctio hæc pœnam aut justam eligere debet aut temperamentum admittere. Casum consilio opponit, pœnam justam temperamento: porro consilium pro dolo, casum pro eo dixit, quod dolo & proposito caret, tamen culpa atque injuria non caret. Breviter casum vocat, qui lasciviam sequutus & sagi jactationem, ut apparet ex integro loco, quem habet tit. 1. Collationis legum Mosaicarum & Romanarum. Quid igitur? Ulpianus sic definit, si consulto, seu dolo & proposito factum sit, pœnæ justæ, id est, ei quæ legis Corneliæ est (nam de ea illi quæstio & sermo est) locum, fieri, sin casu, id est, ut dixi, lascivia & culpa, non illi, sed temperamento, id est, in honestiore persona relegationi, ut constat ex d. tit. 1. & l. 4. §. 1. D. ad legem Corneliam de sicariis & veneficis vel, quod Marcianus d. l. 1. §. 3. vult in proposita specie, à lege, id est, à lege Cornelia absolvi, sed pœnam leniendam. Paulus hæc fere sic effert d. tit. 1. Collationis legum Mosaicarum & Romanarum. Qui hominem occidit aliquando absolvitur; & qui non occidit, ut homicida damnatur. Consilium enim uniuscujusque, non factum puniendum est. Ideoque qui, cum vellet occidere, casu aliquo perpetrare non potuit, ut homicida punitur: & is, qui casu teli hominem imprudenter serierit, absolvitur. Quod si in rixa percussus homo fuerit, quoniam ictus quoque ipsos contra unumquemque contemplari oportet, ideo humiliores in ludum aut in metallum damnantur, honestiores dimidia parte bonorum multati relegantur.

## V.

Restitui, nisi fallor, vere, quod apud Marcianum extat, Hadriani rescriptum. Experiar, quid in Ulpiano possim, apud quem idem Hadriani rescriptum, sed corruptius proditur. Experiar autem eo lubentius, quo justius operam meam vicissim exigit, qui mihi in Marciani disputatione per se egregie adfuit. Sed primum Ulpiani verba adscribam. Ea in tit. 1. Collationis legum Mosaicarum & Romanarum forma hæc sunt.

*Distinctionem casus & voluntatis in homicidio servari rescripto Hadriani*

*driani confirmatur. Verba rescripti. Et qui hominem occidit, absolvi solet, scilicet si non occidendi animo id admisit: & qui non occidit, sed voluit occidere, pro homicida damnatur. E re itaque constituendum est, ex quo ferro percussit, ipsa funditus. Nam si gladium intrinxit, aut telo percussit, quid dubium est, quin occidendi animo percusserit? Sic lapide percussit, aut cucuma aut cum forte rixaretur, ferro percussit. Sed non occidendi mente. Ergo hoc exquirite & si voluntas occidendi fuit, ut homicidam supplicio cum jure jubete affici.*

Hunc locum Petrus Pythœus ex fratris sui conjectura ita emendat. *Ut homicidii reum supplicio majore jubete affici. Ipse de suo addit. Ut homicidam servum supplicio majore. Ita Pythœus. Sed neutrum probat Samuel Petitus. Quin is lib. 2. observ. c. 6. putat vitium eo in versu esse è re itaque & legendum era itaque constituendum est, & quo ferro percussit ipsam, fundus id. Eram autem sive heram exponit dominam; eam fingit à servo suo percussam, & hunc apud Præsidentem cædis, quamvis non perfectæ, tamen intentatæ accusare, itaque ad Præsidentem referibi heræ probandum esse, quo instrumento ipsam percusserit, & in eo, accusationis fundum esse. Argumentum Petito ex rescripti fine, quem, ut ad Præsidentem sit, sic restituit. Ergo hoc exquirito, &, si voluntas occidendi fuit, ut homicidam servum cum jure jubeto affici. Hic cum jure illi est cum causa legibus cognita. Hæc Petitus. In his forte id placet tibi, exquirito, jubeto. Sed mihi supervacua emendatio videtur cogitanti potuisse ab Hadriano ad aliquod concilium rescribi: nam & id fieri solitum. Rescriptum sane Concilio Bœnicæ in l. 1. D. de abigeis & tit. xi. Collationis legum Mosaicarum & Romanarum, etiam Concilio Africæ in inscriptione l. 12. C. de procuratoribus, eoque in casu scribi in plurali numero apparet ex d. tit. xi. Illud porro qui probem, quod pro è re Petitus substituit heræ vel era? Primum enim Marcianus adversatur, qui ea verba è re clare servat d. l. 1. §. 3. Deinde à re constitui perinde dicitur, ut ex causa l. 28. §. 1. D. ad legem Aquiliam, ut ex facto l. 1. §. 2. D. de exceptione doli mali. vel, ut vulgus ait, ex circumstantiis. His adde, quod heræ aut servi apud Marcianum neque vola, neque vestigium: adeo neque necessitas heram apud Ulpianum re-*

ponen-

ponendi & verosimile mihi id verbum *servum* à mala manu esse. Hoc eo probabilius, quia ab Hadriano non id tradi videtur, quod proprium heræ vel servi, sed quod omnium commune jus est. Non igitur placet vox heræ, neque Hadriano convenit. Jam quod ad ista attinet, *ex quo ferro percussit, ipsa funditus*, vel, ut Petitus conjecit, *& quo percussit ipsam, fundus id*, ea, vereor, ne delenda sint, quia hæc nec Marcianus agnoscit, nec sermonis admittit tenor, qui, si absque his est, plenus ac justus, si ea adsint, valde inconcinnus, ac turbulentus videtur. Adeo mihi verosimile est hæc primum à sciolo fuisse ad marginem adscripta, cum Hadriano id negotium esse existimaret, uti percussoris animum tantum ex ferri, seu instrumenti, quo percussit genere, distingueret. Quod licet aliter sit, ut dixi supra, tamen Basilicorum architectis arisit lib. 60. tit. 39. & in scholio ad d. l. 1. §. 3. p. 692. etiam Michaeli Ataliatæ *synops. tit. 71.* & Photio in *Nomocanon. tit. 9. c. 16. p. 139.* & plerisque aliis sedit. Igitur ipse versum eum è re sic concinnandum censeo.

*E re itaque constituendum est. Nam si gladium strinxit, &c.*

Huic ad marginem pro glossa aut argumento loci id, aut simile adscribendum. *En, quo ferro percussit, ipso fundat se, vel, ipso fundatur, vel quid simile.* En, inquam, ut sensus sit, vide, quo ferro percussit, in eo fundat se. Rescripti superest versus postremus: in quo vox illa *cum siglum est, & cum jure pro communi jure* ponitur, ut in isto veterum notarum COMM. CONS. quod est *communi consensu.* Porro pro *servum supplicio* opinor scribendum *severo supplicio.* Eodem sane sensu capitalis severæque sententiæ mentio apud Constantinum l. 16. C. de *pœnis* severitatis etiam judicariæ. l. 29. C. ad *legem Juliam de adulteriis & severitatis legum* apud Marcianum l. 11. D. de *pœnis.* Igitur hunc ego versum sic dispongo.

*Ergo hoc exquirite, & si voluntas occidendi fuit, ut homicidam severo supplicio communi jure jubete affici.*

Cui hoc ejusdem Hadriani apud Ulpianum respondet. l. 5. §. ult. D. de *pœnis & titulo 1. Collationis legum Mosaicarum & Romanarum.* In omnibus criminibus distinctio hæc pœnam aut justam eligere debet, aut temperamentum admittere. *Pœna justa est seve-*

rum supplicium communi jure. Hæ meæ conjecturæ, sed, quia sparsim traditæ, omnes jungam, & Ulpiani locum, uti à me dispunctus est, integrum proponam.

*Distinctionem casus & voluntatis in homicidio servari rescripto Hadriani confirmatur. Verba rescripti. Et qui hominem occidit, absolvi solet: scilicet si non occidendi animo id admisit: & qui non occidit, sed voluit occidere, pro homicida damnatur. E-re itaque constituendum est: \**  
 \* En, quo ferro percussit, ipso fundatur vel, ipso fundat se.  
 Nam si gladium strinxit, aut telo percussit, quid dubium est, quin occidendi animo percussit? Si clavi percussit, aut cuccuma, aut, cum sorte rixaretur, ferro: percussit; sed non occidendi mente. Ergo hoc exquirite, & si voluntas occidendi fuit, ut homicidam severo supplicio communi jure jubete affici.

## CORROLARIA

### Respondentis.

#### I.

*Quod quis in flumine publico edificavit, tam ejus est, quam quod in mari aut littore publico posuit.*

#### II.

*Tempore Pandectarum valuit transactio de testamento facta non inspectis ante testamenti verbis.*

*Pater*

I I I.

*Pater filio, quem in potestate habet, non tantum instituto, sed & exheredato recte substitutum dat in secundum casum.*

I V.

*Tutor condemnatus ob latam culpam, si mera culpa sit, non est infamis.*

V.

*Fidejussore in duriolem causam accepto, quam tenetur reus principalis, non valet fidejussio, & ne ad concurrentem quidem summam sustinetur.*

V I.

*Frater sororem suam, etsi germana sit, dotare non tenetur.*

V I I.

*Mater liberis suis impuberibus pupillariter substituere non potest.*

F I N I S.



Pater filio, pater in potestate habet  
non tantum iustitiam, sed & exheredatorem  
recte sustinetur dat in secundum casum.

Pater coheredatorem ob latam culpam, si  
pater culpa sit, non est iustitiam.

Episcopus in ditionem causam accipit,  
quod tantum rem principalem, non vult  
habuisse, & ne ad concurrens quidem  
suum sustinetur.

Pater sororem suam, esse germanam se  
dicit non tenetur.

Mater liberis suis impuberibus pupil-  
lariter sustinere non potest.